DE FABULAE PROMETHEAE IN ARTE LITTERISQUE USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XIV. MENS. JUL. A. MDCCCLXXXV
HORA XII
IN PUBLICO DEFENDET AUCTOR

THEODORUS KONITZER
CONITZIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FRIDERICUS JESCHONNEK, DR. PHIL.
FRANCISCUS ZIEMANN, DR. PHIL.

REGIMONTI BORUSSORUM.
MDCCCLXXXV.
TYPIS LEUPOLDIANIS.

GUSTAVO HIRSCHFELD

SACRUM.

De fabulae Prometheae in arte litterisque usu.

A. Kuhn, cum in illo libro, qui inscribitur: Herabkunft des Feuers, p. 18, homines a Prometheo fictos esse vetustissimam habet fabulam, summo in errore versari mihi videtur. Quam Kuhnii opinionem hac in mea dissertatione refellere constitui.

Prima fabulae Prometheae commemoratio fit in Hesiodi carminibus: Opp. v. 42 sqq. et Theog. v. 540 sqq., cuius fabulae argumentum hoc est: Iuppiter, cum in sacrificio quondam a Prometheo fraudatus esset, hominibus, ut erat iratus, ignem detraxit. Quem ignem Prometheus rapuit et hominibus reddidit. Quam ob causam Iuppiter furem affecit hoc supplicio (Theog. v. 521 sqq.):

δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.
καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον.

Quae poena Prometheo solvenda erat, donec Hercules (Theog. v. 529)

οὐκ ἀέκητι Ζηνὸς Ὀλυμπίου ὑψιμέδοντος

eum liberaret. Praeterea etiam homines poena afficiens Iuppiter misit Pandoram, quam Vulcanus eius iussu finxerat, et quae ab Epimetheo accepta, ut est in Theogonia (v. 590 sqq.), mater facta est omnium feminarum, ex quibus omnia, quae

in terra versantur, mala nata sunt, aut, ut in Opp. (v. 94 sqq.) scriptum videmus, e vase emisit mala, quae abinde hominibus molestiae sunt.

Hanc fabulam, quae ab Hesiodo nobis uberrime narratur, non esse primitivam viri doctissimi inter sese haud dissentiunt, in quibus potissimum habendi sunt: Lehrs (Quaest. ep. p. 224), Schoemann (Theog. p. 212), Preller (Gr. Myth. I p. 77), Welcker (Gr. Gött. I, 768), Koechly (Ac. Vortr. I, 389). Duplex enim est scelus a Prometheo commissum: fraus in sacrificio facta et ignis furtum. Quid autem prius fuerit, ignis furtum an fraus in sacrificio facta, post illam Prelleri de hac fabula Hesiodea disputationem nullum iam dubitationis locum relictum esse arbitror. Nam ex Prelleri sententia fraus in sacrificio facta ignis furto a posterioribus addita est, ut ignis surrepti causa esset. Quam Prelleri sententiam Kuhn libro, quem supra attuli, eo adminiculat, quod Prometheum cum Indorum deo Mataricvan, qui vocatur, comparat. In huius enim quoque fabula nulla fraudis in sacrificio factae mentio fit.

Atque etiam duplex est poena, cum praeter Prometheum homines ab Iove, qui iis Pandoram misit, puniti sint. Hominum poenam postea adiectam eamque posthomericam esse ex eo concludi potest, quod hoc de feminis iudicium ab his omnia mala orta esse prorsus abhorret ab Homeri sententia.

Qua ex fabulae Prometheae amplificatione, quam apud Hesiodum cognovimus, optimo iure colligi potest illam fabulam hominum animos vehementisse amplexam et magnam gloriam Hesiodi aetate assecutam esse.

Cui gloriae etiam testimonio est fingendi pingendique ars, qua saepius oculis nostris Prometheus vinctus proponitur.

Vetustissimum huius generis artificium est gemma quaedam in Creta reperta (picta in Act. Acad. Berol. a. 1882 et in tabulis*) a Benndorfio nuper editis Ser. D tab. IX), ubi Prometheus retro vinctis manibus flexisque genibus et aquila advolans cernuntur.

Idem argumentum exstat in parvo opere caelato, Olympiae reperto (picta in iisdem Actis Acad. Berol.). Nam hic quoque Promethei manus retro vinctae et genua flexa, ut in gemma, de qua modo dictum est, cognoscuntur, quamquam opus ita est fractum, ut Promethei caput et aquila advolans desint.

Provectam vero artem exhibet patera ex urbe Caere orta, cuius pictura apud Gerhardum (Auserl. Vas. II 86). Promethei enim pedibus manibusque ad columnam quandam alligatis in femore sedet aquila latus eius dilacerans. Quod Prometheus hac in patera non barbatus est ut in gemma, de qua supra dixi, mirum esse non potest, nam hoc, quod etiam in aliis operibus Etruscis, de quibus infra agetur, reperiemus, artificum Etruscorum proprium habendum est. Sed quem censemus esse illum, qui stans ante Prometheum onus quoddam portat? Num Sisyphus est, qui sustinet saxum, id quod Gerhard et Jahn (Archäol. Beiträge p. 229) putant? Minime! Sisyphus enim saxum volvit neque portat, et talis etiam in artis monumentis reperitur (cf. Gerhardum A. V. II 87). Si igitur ille vir, qui onus portat, Sisyphus non est, nisi Atlas nullus alius cum Prometheo coniunctus esse potest. Qui Atlas caelum sustinet, quale etiam in speculo Etrusco apud Gerhardum (A. V. II 137) propter stellas

*) Quibus in tabulis omnia, quae ad Prometheum pertinent, monumenta composita sunt.

oneri appositas sine ulla dubitatione cernitur. Prometheo igitur alius frater e genere Iapeti adiunctus est (cf. Welckerum, A. D. III 192 et Bull. di corr. arch. a. 1835 p. 41).

Quibus ex artificiis satis apparet, quomodo Prometheus vinctus punitusque initio cogitatus sit. Postea, ut ars pingendi comprobat, per medium Prometheum stipitem adactum esse putabant, quae res etiam commemoratur Hesiodi loco, quem supra laudavimus.

Hoc in genere primum commemoranda est testa Phaleri reperta, quae nunc est in monasterio Neuburg, quod vocatur, prope ab Heidelberga (cuius pictura apud Benndorfium, Vasenbilder 54, 2). Hic viri tantum caput exadversum aquilam ingentem relictum est, sed sagittae aquilae adiectae sine ulla dubitatione nobis demonstrant praeter Prometheum stipite*) defixum adfuisse etiam Herculem illum liberaturum, cuius arcus reliquias a Promethei tergo summo iure cognovit Benndorf (l. l.). Quod genus pingendi quo planius cognoscatur, duas amphoras perscribam, quae Promethei poenam ac liberationem nobis ostendunt.

In amphora reperta in urbe Chiusi, quae nunc vocatur, (quae amphora conservatur in museo Berolinensi et reddita est ab O. Iahnio, Archäol. Ztg. a. 1858 tab. 8) aquila advolans ad Prometheum stipite terra defixum et Hercules a Promethei tergo succurrens arcumque tendens picti sunt. Praeterea hic Promethei liberationis spectatorem quoque fictum videmus, ac Jovem quidem, quod iam coniecit Welcker (A. D. III p. 192). Iuppiter post aquilam stans ad laborem avem impellere mihi videtur.

Sed aliam ob causam, ut infra videbimus, dii adsunt

---

*) Sic enim interpretor rem, quae est supra viri caput.

in illa amphora, quae conservatur in collectione Vidonica Mediolanii et picta est in eadem ephemeride a. 1858 tab. 8. Quamquam hic eadem elementa eundemque ordinem atque in illa amphora reperimus: aquilam, Prometheum stipite terra defixum, Herculem arcum tendentem, tamen liberationis ratio hac in pictura alia est, quia Mercurius post Herculem stans Prometheo pronuntiat numen caelestium, quorum summi: Iuppiter et Iuno — uterque sceptro perspicuus — insuper adsunt, per quos artifex huius picturae manifestum reddere voluit caelestes iam assentiri Promethei liberationi. Sed quis est, qui arcum tenens et retro versus cum Iove colloquitur? Arcum et Apollinis et Dianae proprium esse nemo ignorat. Sed cum Dianae praesentia nullo modo probari possit, cum Jahnio (l. l.) Apollinem adesse ut sagittariorum magistrum, nam Herculem gravissimam sagittam arcu expulsurum esse, consentio.

Explicatis his duabus amphoris iam incidimus in quintum saeculum a. Ch. n., quibus temporibus Promethei fabula ad summum gloriae gravitatisque fastigium elata est. Ad quam rem plurimum valebat, quod Prometheus publice colebatur, cuius cultus initium fortasse iam ante Aeschylum statuendum esse arbitror. Pausanias enim (I 30, 2) memoriae tradidit: ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός, καὶ θέουσιν ἀπ᾽ αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. τὸ δὲ ἀγώνισμα ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην ἐστίν .... ἔστι δὲ Μουσῶν τε βωμός, καὶ ἕτερος Ἑρμοῦ, καὶ ἔνδον Ἀθηνᾶς, τὸν δὲ Ἡρακλέους ἐποίησαν.

Prometheo igitur ara posita erat in Academiae area, quod liquet ex verbis: καὶ ἔνδον Ἀθηνᾶς et comprobatur a schol. ad Soph. Oed. Col. v. 56: Συντιμᾶται δὲ καὶ ἐν Ἀκαδημίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιστος. καὶ ἔστιν αὐτοῦ

παλαιὸν ἵδρυμα καὶ βωμὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. Tum, δείκνυται δέ, inquit, καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστὶ τύπος καὶ τοῦ Ἡφαίστου. πεποίηται δέ, ὡς καὶ Λυσιμαχίδης φησίν, ὁ μὲν Προμηθεὺς πρῶτος καὶ πρεσβύτερος, ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων, ὁ δὲ Ἥφαιστος νέος καὶ δεύτερος. Scholiastes igitur praeter basim et aram in positam commemorat παλαιὸν ἵδρυμα, quod ex verbi usu sanctuarium cuiuscunque generis significare potest. Templum vero, quod permulti volebant,*) verbum illud hic valere nequit; nam si ibidem templum Promethei fuisset, Pausanias id certe non praeteriisset.

Licet Prometheus in Academia tantum honorem adeptus sit, tamen Aeschyli trilogiae, quae Prometheus inscribitur, summam gloriam debet. Nam hic Prometheus nobis occurrit maximorum beneficiorum auctor et deus mala crudelissima pro hominibus perferens. Liceat mihi breviter fabulam, quae est apud Aeschylum, hic afferre.

Prometheus, deus Vulcanoque affinis (Pr. vinct. v. 14), filius Themidis neque, ut in Hesiodi carminibus, Clymenes, ex Vulcani officina ignem rapit homines contra Iovis vim defendens. Tantum hoc uno scelere se obstringit. — Fraus enim illa in sacrificio facta, quam Hesiodus tradidit, de industria ab Aeschylo omissa est, quo nobiliores essent eius mores.**) Ob illud furtum is, qui quondam homines servaverat, cum Iuppiter eos exstinguere voluisset (Pr. vinct. v. 231), is, qui homines omnes artes litterasque docuerat, is, qui sortem hominum sublevaverat tribuens iis caecas spes et eos impediens, quominus mortem providerent, denique

---

*) cf. Weiskium, Prometheus p. 530.

**) cf. Welckerum, Tril. p. 11.

is, qui tanto amore homines amplexus erat, in regione deserta vasto Caucaso a Vulcano incusus poenas dat aquilae devoranti. Sed praesentit fore, ut ab Hercule olim liberetur pro secreto, quod a matre Themide acceperat: Iovi ex Thetide filium patre fortiorem naturum esse. Quamquam Prometheo Iuppiter secretum antea extorquere vult, tamen ille constanter omnes labores perfert, quibuscunque Iuppiter eum afficit. Sed liberatum in deorum gratiam eum rediisse e versu Pr. vinct. 188 concludere possumus (cf. Welckerum, Tril. p. 28 et Schoemannum, d. Aesch. gef. Pr. p. 66).

Quam reconciliationem Promethei cum diis pervagatam fuisse patera picta apud Muellerum-Wieselerum (D. d. a. K. II 65, 834) probare mihi videtur.*) Prometheo enim coronato lygo, qui ob poenae memoriam illi ab Iove addictus est — id quod Menodotus Samius apud Athenaeum XV, 16 Aeschylo assignat: *Αἰσχύλος δ' ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησιν, ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ.* — et sceptrum dextra tenenti Iuno patera porrigit, ut eum salutet.

Atque etiam fingendi ars permultum in tractanda fabula Promethea versata est multumque ad eam longe lateque propagandam valuit. Cui hoc loco non in mentem venit Phidiae, qui in basi Minervae ebore et auro factae, ut verbis Pausaniae (I 24, 7) utar, *Πανδώρας γένεσιν* finxit, quod Plinius, hist. nat. 36, 5 supplet: dii sunt adstantes viginti? Qui dii deaeque praeter alios insculpti fuerint,

*) cf. Welckerum, a. D. III, 194 et Braunium, Bull. di corr. arch. a. 1846 p. 114.

ex Hesiodi Opp. v. 70 sqq. colligere possumus. Ibi enim legitur:

αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον Κρονίδεω διὰ βουλάς·
ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
ἀμφὶ δὲ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθὼ
ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ· ἀμφὶ δὲ τήνγε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι·
ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
θῆκε θεῶν κῆρυξ.

Sin autem interrogamus, qua ratione Pandora cum Minerva, cuius in basi erat *Πανδώρας γένεσις*, coniuncta fuerit, sententiam meam haud improbabilem esse arbitror Pandoram hic aliam atque in Hesiodi carminibus intellegendam esse et quidem primam feminarum, quas Minerva artes domesticas docuerat.

Quin etiam Graecorum summo sacrario, Iovis Olympici statuae, non defuit auctore Pausania (V 11,6) vinctus Prometheus, quem Hercules liberaturus erat, pictus a Panaeno in carceribus inter pedes solii Iovis positis, ut celebraret potestatem summi Iovis, qui illum quoque inimicum devicerat ut gigantes aliosque.

Utrum Parthenonis Atheniensis illius in metopa quadam lateris, quod ad meridiem vergit (apud Michaelem, Parthenon, metopa XIV ad meridiem se vertentium*) caelato opere Pandora Epimetheusque exstent, id quod Broendsted (Reisen II Vorr. XI) defendit, necne, decerni non potest.

*) Et apud Muellerum-Wieselerum I 22, 114.

Quamvis enim ex pertimescenti fugientique viro et femina in vas, quod sinistra tenet, curiose intuenti concludi liceat alteram figuram esse Epimetheum perterrefactum, alteram Pandoram, quae curiositate adducta apertum habet vas, e quo omnia mala provolant, tamen huic opinioni repugnat res rotunda, quam femina dextra tenet, cum propter parvam formam ea neutiquam huius vasis operculum haberi possit. Tum ex meliore pictura lineari, ut est apud Michaelem (l. l.), qui picturis artificis Carrey apud Laborde, le Parthénon, usus est, conicere possumus — id quod etiam Michaelis contendit — rem illam potius esse pulvinum ad onera in capite portanda quam vasis operculum. Quae cum ita sint, non pro certo haberi potest Epimetheum Pandoramque hic intellegendos esse. Sed cum opinioni Epimetheum cum Pandora adesse hac in metopa nihil aliud nisi exiguitas rei, quam femina dextra tenet, obstet, pictorem Carrey, cum huius metopae argumento haud perspecto rem rotundam habuerit pulvinum, operculum tam exiguam pinxisse arbitrer. Omnino perverse hanc metopam interpretatus esse mihi videtur Wieseler (D. d. a. K. I p. 17) opinatus Mercurium et Cecropis filiam fictos esse, illum mulieris amore ac stupore captum. Nam primum fugit iuvenis; tum feminam oculos in iuvenem neque in vas vertentem suspiceris; denique Wieseler feminae curiose intuentis gestus omnino neglexit.

Quid, quod Parrhasius Prometheum vinctum pinxit? Seneca enim traditum reliquit (contr. X, 34) Parrhasium servum cruciasse, ut ad exemplar eius Prometheum pingeret. Apparet illam fabulam servi cruciati inventam esse et recte Milchhoefer (Winckelmprgr. 1882) eam cum simili fabula, quae pictori Michelangelo addicta est, composuit. Eti-

amsi servus cruciatus fabulatus sit, tamen nihil est, quod dubitemus, quin Parrhasius Prometheum vinctum pinxerit.

His testimoniis perpensis dubium esse non potest, quin fabula Promethea per totam Graeciam pervulgata fuerit, et quin Prometheus a Graecis institutis innexus sit, quae a natura eius non longius abhorrere viderentur. Ita Prometheus prope Thebas in Cabirorum cultum receptus est, de qua re Pausanias (IX 25, 5) haec fere tradit: Viginti et quinque stadia a Thebis Cabiriae Cereris et Proserpinae lucum videas. Quo intrare initiatis tantum fas est. Ab hoc loco distat fere septem stadia Cabirorum aedes. Qui vero sint Cabiri et quo ritu ipsis et Magnae Matri sacra fiunt, reticenti mihi ab iis hominibus, quos haec audiendi studium tenet, esto venia. Hoc unum me nulla prohibet religio vel in vulgus efferre, quale initium sacrorum fuerit Thebanis tradentibus: Civitatem enim quondam hoc in loco fuisse et viros nominatos esse Cabiros. Progeniei horum Cabirorum, Prometheo et filio eius Aetnaeo, hospitibus suis, Cererem, quae huc venisset, nescio quid commisisse. Donum certe a Cerere datum initia Cabirorum sunt.

Cum Prometheus his in initiis eundum locum teneat ac Vulcanus in Cabirorum Lemnicis (Strabo X 3,21), quantam gravitatem ille in his initiis habuerit, facile est intellectu.

Sed deliberantibus nobis omnes Promethei gloriae causas maxima vi et effectu fuisse videtur, quod Aeschylus Prometheum in scenam produxerat eum, qui optime de genere humano meritus esset eo, quod artium litterarumque auctor fuisset. Quibus beneficiis acceptis demum ceteris animalibus homines superiores facti erant, et grati hi facile

eo progredi potuerunt, ut totius vitae donum illi assignarent, id est Prometheum hominum creatorem putarent.

Primum haec res nobis traditur a Philemone (apud Stob. Floril. t. 2,27 ed. Gaisf.): *Προμηθεύς, ὃν λέγουσιν ἡμᾶς πλάσαι καὶ τ' ἄλλα πάντα ζῷα*, deinde a Menandro, quem Lucianus (Am. 43) affert: *τῶν δέ*, inquit, *πικροτέρων εἴ τις ἐθέλησε τὸ ἀληθὲς κατὰ μέρος ἐξετάζειν, ὄντως καταράσεται Προμηθεῖ, τὴν Μενάνδρειον ἐκείνην ἀποῤῥήξας φωνήν.*

Εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον
Γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις;
Καὶ γίγνετ' αὐτῷ λαμπάς, ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν
Ἀγαθόν; ὃ μισεῖν οἶμ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς
Γυναῖκας ἔπλασσεν, ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Ἔθνος μιαρόν· etc.

Quamquam tantum feminas a Prometheo fictas esse Menander commemorat, tamen facile intellegi potest poetam fabulam hominum a Prometheo formatorum in iocum vertisse. Quarto igitur saeculo a. Ch. n. primum hanc fabulam apud scriptores invenimus.

Quid vero Servius ad Verg. Ecl. 6,43 tradit? Prometheum, ait, post factos a se homines Minervae auxilio caelum ascendisse et adhibita facula ad rotam solis ignem furatum esse, quem hominibus indicaverit. Ob quam causam irati dii duo mala terris immiserunt, morbos et macies (ex mythographis Vaticanis, de quibus infra agetur, scribendum est: febres et maciem, id est morbos), sicut et Sappho et Hesiodus memorant:

ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.

Quibus ex verbis effici non potest Sappho et Hesiodum Prometheum hominum fictorem novisse, sed Servius utrum-

que memorasse mala hominibus ob ignis furtum a diis venisse dicit, id quod ex versu adiecto intellegi liceat.

Sin autem illud argumentum Ovid. Met. I tamen Hesiodo hanc fabulae versionem homines a Prometheo esse factos vindicat, ubi legitur: „Tum humanum genus, quod cuncta vinceret, Prometheus, Iapeti filius, ut idem Hesiodus ostendit, ex humo finxit“, huius argumenti auctorem hanc fabulam cum Pandorae fictione confudisse arbitror. Nam illo loco (Opp. 109 sq.), quo de aetatibus agitur, homines originem ducunt ab ipso Iove.*) Tum illi argumento repugnare mihi videtur, quod Proclus ad Hesiodi Opp. v. 15 dicit: *ἀλόγως λέγουσιν, ὅτι Προμηθεὺς ἀνθρώπους ἔπλασεν*, nam cum in Hesiodi carminibus Prometheum ut hominum procreatorem non reperisset, infitiatus est id, quod aetate sua iam omnino pervulgatum fuit.

Quod Aristophanus (Av. 686) homines appellat: *πλάσματα πηλοῦ*, pro certo affirmari non potest poetam de Prometheo ut hominum fictore cogitasse, sed fragile genus, ut ita dicam, homines vocavisse poetam licet putemus.

Si vero Plato (Prot. 11) dicit homines a diis ex humo et igni et aliis rebus fictos, a Prometheo Epimetheoque exornatos esse, haec res magni momenti videtur esse ad comprobandam meam de hac fabula sententiam, Graecos Prometheum ut hominum fictorem ante Aeschylum ignorasse, nam Plato Prometheum homines tantum exornasse scit, dum eos dii procreant.

Haec igitur argumenta breviter astringentes videmus ante Aeschylum haud notum fuisse Prometheum homines finxisse. Itaque nihil impedit, quominus putemus ex

---

*) cf. Weiskium, Prom. p. 516.

Aeschyli trilogia, quae Prometheus inscribitur, hanc fabulae versionem a posterioribus excogitatam esse.

Ad fabulam homines a Prometheo esse formatos etiam se aggregant, quae Pausanias (X 4,2 et II 19,7) prodit: locum significatum esse, ubi Prometheus homines finxisset: in Panopensium et Argivorum finibus. Panopenses pro sua opinione attulisse: saxis apud Promethei signum esse colorem, qui luto, ex quo universum hominum genus Prometheus formavisset, et odorem humani prope corporis. Alios autem putavisse signum apud Panopenses, quod esset in sacello e rudi laterculo, non Promethei sed Aesculapii esse.

Quibus ex rebus a Panopensibus et Argivis narratis manifestum est, cum utrique Prometheum suum reddere vellent, quam magnam auctoritatem haec hominum a Prometheo factorum versio adepta sit.

Cui auctoritati est documento Apollodorus (Bibl. I 7,1) quem pro multis testimoniis hic afferam, quod primus aliam quoque fabulam, scilicet Deucalionis Pyrrhaeque, annexam Prometheae plane nobis narrat.

Προμηθεὺς δέ, ait, *ἐξ ὕδατος καὶ γῆς ἀνθρώπους πλάσας ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ πῦρ λάθρα Διὸς ἐν νάρθηκι κρύψας. ὡς δὲ ᾔσθετο Ζεύς, ἐπέταξεν Ἡφαίστῳ τῷ Καυκάσῳ ὄρει τὸ σῶμα αὐτοῦ προσηλῶσαι* . . . .

Προμηθέως δὲ παῖς Δευκαλίων ἐγένετο· οὗτος βασιλεύων τῶν περὶ τὴν Φθίαν τόπων γαμεῖ Πύῤῥαν τὴν Ἐπιμηθέως καὶ Πανδώρας, ἣν ἔπλασαν θεοὶ πρώτην γυναῖκα, ἐπεὶ δὲ ἀφανίσαι Ζεὺς τὸ χαλκοῦν γένος ἠθέλησεν, ὑποθεμένου Προμηθέως Δευκαλίων τεκτηνάμενος λάρνακα καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἐνθέμενος εἰς ταύτην μετὰ Πύῤῥας εἰσέβη. Ζεὺς δὲ πολὺν ὑετὸν ἀπ' οὐρανοῦ χέας τὰ πλεῖστα μέρη τῆς Ἑλλάδος κατέλυσεν, ὥστε διαφθαρῆναι πάντας ἀνθρώπους etc.

Qua ex traditione a Prometheo Deucalion genitus et ab Epimetheo Pandoraque nata est Pyrrha.

Huic versioni primo documento est Pindarus (Olymp. 9,74) qui Opuntiorum Deucalionides appellat Iapetionides.

Deinde Epicharmi comoediae inscriptionem: *Πύῤῥα ἢ Προμαθεύς* (Pollux 10,82), quae comoedia certe hac Promethei cum Deucalione Pyrrhaque propinquitate nititur, novimus.

Tum hac versione etiam Hellanicus usus est ex schol. Apollon. Rhod. III 1084 et Phavorin. in v. *Θεσσαλία· ὅτι δὲ Προμηθέως υἱὸς Δευκαλίων ἐβαλίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος φησί. καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμὸν ἱδρύσατο.* Haec e Deucalioniae libro I petita esse docent idem schol. Apoll. Rhod. III 1085 et Phavorin. in v. *Δευκαλίων. ὅτι δὲ καὶ ὁ Δευκαλίων ἐβασίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς Δευκαλιωνείας φησίν, καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμὸν ὁ Δευκαλίων ἱδρύσατο, Ἑλλάνικος ἐν τῷ αὐτῷ φησι συγγράμματι.*

Quibus testimoniis allatis sequitur, ut haec fabulae Prometheae versio Aeschylo vivente iam inter omnes nota fuerit, sed fieri non potuit, ut ante Aeschylum apud homines pervulgata fuerit, nam cum a Prometheo totius generis origo, — id quod, ut supra diximus, tantum ex Aeschyli trilogia, quae Prometheus inscribitur, factum est — a Deucalione Pyrrhaque Graecorum duceretur, Promethei affinitas cum Deucalione Pyrrhaque exstitit.

Quare schol. Apoll. Rh. III 1085: *ὅτι Προμηθέως καὶ Πανδώρας υἱὸς ὁ Δευκαλίων, Ἡσίοδος διηγεῖται ἐν τῷ πρώτῳ τῶν καταλόγων, καὶ ὅτι Προμηθέως ἢ Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας Ἕλλην,* fides non habenda est, quod hanc versionem iam Hesiodo assignat.

Ut revertar ad Apollodorum, idem primus etiam aliud

factum Promethei narrat. Nam in Bibl. I, 3,6 scriptum invenitur: ὡς δὲ (Διὶ) ὁ τῆς γενέσεως ἐνέστη χρόνος πλήξαντος αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν πελέκει Προμηθέως ἢ καθάπερ ἄλλοι λέγουσι καὶ Ἡφαίστου, ἐκ κορυφῆς ἐπὶ ποταμοῦ Τρίτωνος Ἀθηνᾶ σὺν ὅπλοις ἀνέθορεν.

Promethei igitur fabulae fama atque auctoritas in dies creverat. Hoc etiam ars, postquam Phidias, Panaenus, Parrhasius Prometheum celebraverunt, adiutavit? Certe, etiamsi pauca ex arte nobis relicta sunt, donec Pergamenorum aetate fabula nostra denuo arte effloruit. Sed non nimium artifices his aetatibus fabulae Prometheae usum habuerunt ob eam causam, quod haec fabula maiorem severitatem tristitiamque prae se fert (cfr. Welckerum, a. D. III 197). Haec pauca relicta, quae his aetatibus orta sunt, duo specula Etruscorum arte exorta. Hic quoque*) primo intuitu Etruscos a Graecis diversam iniisse artis rationem instituimur. In speculo enim, picto apud Gerhardum, Etrusk. Sp. 137, digito Promethei ab aquila modo liberati anulum inserturus est Hercules — cui clava, quasi ea avem interfecit, addita est — qua in re Herculem adiuvat Castor, qui Prometheo persuadere videtur, ut libenter hanc poenae memoriam accipiat. — Neque O. Iahnii (Archäol. Beitr. 232) sententiam Castorem quoque Prometheo anulum aptaturum esse comprobare possum, cum nihil de duobus anulis traditum sit. — Hunc anulum**), Herculem cum clava, Castorem e more Italicorum in fabulam Prometheam ingressos esse apparet, cum nusquam a Graeco artifice hoc argumentum adhibitum esse videamus.

---

*) cf. pateram ex urbe Caere.

**) Quem primus Catullus 64,295 tradit.

Etiam alterum speculum, pictum apud Gerhardum, Etrusk. Sp. 138, aliquid praebet, quod a Graecorum traditione abhorret. Praeter enim Herculem, cui etiam hoc in speculo clava attributa est, Apollo liberationi adest. Sententiam enim Gerhardi sequens ex relictis litteris (← ꓥ . . . I A) Aplu suppleo, id est Apollo, cum O. Iahnii (Archäol. Beiträge, p. 232) coniecturae etiam hoc in speculo Castorem adesse, id repugnet, quod ante litteram A, quae propius ad iuvenis corpus est, non satis spatii est, ut littera C poni possit, et quod ex hasta post litteram A posita neutiquam littera ϟ = s refici potest.

Utrumque igitur speculum nos docet ab Etruscis fabulam Prometheam valde mutatam esse. Sed cum praeterea de hac fabula, qualis apud Etruscos fuerit, nihil nobis notum sit, dicere non possumus, qua de causa in liberando Prometheo Herculi Castor et Apollo additi sint. Neque intellegi potest, cur artifex Etruscus in gemma (picta apud Caylum, Rec. d'antiq. 1, 28, 2) ubi Prometheus in rupe sedens sublevatis manibus incusus est, avem, quae in trunco stans Prometheum dilacerat, ciconiae similem finxerit.

Hic liceat mihi disserere de gemma quadam, quae reperta in Peloponneso (picta apud Broendstedium, Reisen II 192 et ap. Muellerum-Wieselerum, D. d. a. K. II 64, 831) etiam a nobis notis argumentis, quae ex Promethei fabula sumpta ab artificibus adhibita sunt, omnino discedit. Hac in gemma Prometheum ignem rapientem Iovis iram fugere, quod fulmen inter fugientis pedes insculptum indicet, Broendsted (l. c.) affirmat et hanc gemmam perantiquam esse putat. Sed comparantibus nobis cum hac gemmam apud Muellerum-Wieselerum D. d. a. K. II 30, 33 pictam, ubi Mercurius apparet, statim, quanta sit harum gemmarum

similitudo, liquet. Quam ob causam etiam in nostra gemma Mercurium esse concluderemus, nisi fulmen fugienti adiectum esset. Itaque constituere non audeo, utrum Mercurius an Prometheus insculptus sit.

Sed, ut redeam ad dissertationis ordinem institutum, Pergameni, ut iam supra dictum est, Prometheo honorem gloriamque denuo tribuerunt, iique, ut statuarum fragmenta (picta apud Milchhoeferum, Winckelmprgr., Berl. 1882 et conservata in museo Berolinensi) nos docent, Prometheo vincto, quem Hercules liberaturus est, usi sunt. Quibus duobus tertia figura apposita est, quae recte a Milchhoefero (l. l.) Caucasus putatur.

Idem argumentum adhibitum esse ab Euanthe, cuius tabulam Achilles Tatius (III, 8) perscribat, et in duabus parietum picturis, quarum altera reperta est Pompeis anno 1833 (ap. Zahnium, d. schönsten Ornamente II, 30, Helbigium, Wandgem. 1128, Muellerum-Wieselerum D. d. a. K. II 62, 852) altera in villa Pamphili vocata Romae (publicata a Iahnio, Abhandl. d. königl. bayr. Ac. VIII 2 p. 231 Taf. I—VII) et in dextro latere anaglyphi sepulcralis Capitolini (picti ap. Muellerum-Wieselerum D. d. a. K. II 838 a. b. et in tabulis a Conzio editis 8, 3 etc.), Milchhoefer (l. l.) accuratissime explicavit.

Ita iam venimus ad alteram partem dissertationis, quae de Prometheo in litteris et arte a Romanis adhibito agit.

Fabulae Prometheae in litteris tractatae scriptores Romani nihil magni momenti adiecerunt. Neque multum valet, quod fabulam allegorice interpretantur.

Planius Promethei res gestae primum narrantur in fabulis, quae ementiuntur nomen Hygini (fab. 144), ubi iam singulae partes fabulae aut perversae aut omissae sunt. Ibi

enim narratur: Homines antea ab immortalibus ignem petebant neque in perpetuum servare sciebant; quem postea Prometheus in ferula detulit in terras hominibusque monstravit, quomodo cinere obrutum servarent. Ob hanc rem Mercurius Iovis iussu deligavit eum in monte Caucaso ad saxum clavis ferreis et aquilam apposuit, quae cor eius exesset. Quantum die ederat, tantum nocte crescebat. Hanc aquilam post triginta*) annos Hercules interfecit eumque liberavit.

Ignis igitur a sole, nam hoc concludere licet ex verbis: „detulit in terras", per Prometheum rapitur pro hominibus, cum inscii, quomodo ignem servarent, eundem perdidissent, non quia Iuppiter iratus ob fraudem in sacrificio commissam eum hominibus dempserat. Poenam solvit solus Prometheus Iovis iussu a Mercurio, non a Vulcano, in Caucaso alligatus. Quod ad causam surrepti ignis attinet, dixerim, qui primus hanc fabulam ita narravit, eum non credidisse Iovem in sacrificio decipi potuisse, itaque illam causam attulisse, ob quam ignis rapiendus esset. Neque hic de Pandora aut de malis, quae e Pandorae vase evolabant, quidquam traditur.

Etiam magis pervertunt fabulam nostram mythographi Vaticani (I 1 et II 63 et III 10) et Astronomicorum (II 15), quae nomen Hygini ementiuntur, auctor et Fulgentius (II Prom.), qui omnes ita consentiunt, ut ex uno eodemque Latino fonte eos hausisse necesse sit, id, quod conferentibus nobis, quae a quoque de Prometheo narrantur, statim manifestum est.

---

*) Restituendum est ex Hygini astronomicis II 15: triginta milia annorum, quae etiam tradit myth. Vat. II 64.

Quis aut quo tempore hic auctor Latinus fuerit, statui non potest. Sed tantum constat ante Horatium eum non vixisse, nam hic auctor ante oculos habuit Horatii carm. I 3,25 sqq.:

> Audax omnia perpeti
> Gens humana ruit per vetitum nefas:
> Audax Iapeti genus
> Ignem fraude mala gentibus intulit;
> Post ignem aetheria domo
> Subductum macies et nova febrium
> Terris incubuit cohors,
> Semotique prius tarda necessitas
> Leti corripuit gradum!

cum omnes, qui eum compilaverunt, dicant: irati dii immiserunt terris febres et maciem. Num haec sententia illum auctorem Latinum, communem omnium fontem, post Horatium vixisse eoque usum esse eo quoque adiuvatur, quod myth. Vat. II narrat hominibus particulas ex animalibus a Prometheo appositas esse, in quibus particulis affert „vim leonis stomacho, timorem a lepore, astutiam a vulpe, a serpente prudentiam, et quod „vim leonis stomacho" sumptum est ex Horatii carm. I 16,13 sqq., ubi legimus:

> Fertur Prometheus, addere principi
> Limo coactus particulam undique
> Desectam, et insani leonis
> Vim stomacho adposuisse nostro?

Minime! Nam cum alii, qui ex illo communi fonte hauserunt illam rem non tradant, haec narratio ex illo fonte non fluxit neque documento est, illum auctorem Latinum post Horatium vixisse.

Utrum auctor, ex quo omnes hi mythographi pendent,

ab Hermippo Smyrnaeo Peripatetico, Callimachi aequali (cf. Robertum, Eratosthenis catasterismorum reliquiae p. 224) narrationem suam repetat, quia Hermippus de Chirone scripserat, quem pro Prometheo mortuum esse notum est, an ab alio aetatis Alexandrinorum scriptore, a quibus Promethei fabula propter Herculis sagittam, qua Promethei aquila necatur, in libris astronomicis narrabatur, decidi non potest.

Iam ad fabulam ipsam perveniamus, quae his mythographis continetur. Nullam magni momenti commutationem in fabula Promethei factam esse constituere possumus. Sed quae commutata sunt, in posterum tempus valebant. Ita enim de Minerva iudicandum est, quae Prometheum in caelum fert, ut ignem sumat, partim ut eo vivos reddat homines, partim ut iis ignem usui det. Nam Minerva nobis in anaglyphis sepulcralibus, de quibus infra disseretur, adiutrix occurrit Promethei, qui homines fingit. At unde Prometheus ignem rapit? A solis rota, id quod abhorret ab Aeschylo, apud quem ignis ex Vulcani officina ereptus est. Si deinde Prometheum etiam Pandoram finxisse Fulgentius et mythographus Vat. III narrant, excogitatum esse mihi videtur, ne Pandora, id est generis muliebris quasi prototypon, hominibus auctor malorum significaretur.

Eodem sensu Hyginus tradit Iovem ignis dono a Prometheo hominibus dato benigno animo iis Pandoram misisse, ut etiam ipse hominibus aliquid boni tribueret.

Neque mirum est, quod Prometheus omnes artes et litteras in Caucaso alligatus didicerit, cum artes litteraeque non ex ignis usu sed ab ipso Prometheo ducantur.

In singularum fabulae nostrae partium gravitate summum locum tenent homines a Prometheo formati. Sin

autem mythographus Vat. II iussu deorum homines factos esse dicit, id sibi ipse finxisse videtur. Quomodo autem homines facti sunt secundum hunc mythographum? Particulas ex omnibus animalibus sumptas Prometheum homini apposuisse. Quales autem sunt hae particulae? Virtutes et vitia: vis leonis stomacho, timor a lepore, astutia a vulpe, a serpente prudentia, a columba simplicitas. Quae res in anaglypho sepulcrali (apud Muellerum-Wieselerum, D. d. a. K. II 65, 840), de quo infra agetur, aliquantum ponderis habet.

Denique lapides a Deucalione Pyrrhaque iactos Prometheus vivos reddit „face caelesti adhibita,“ id quod fictum est, quia etiam homines a se formatos animat.

Sed de his mythographis hactenus. Sed etiam alii scriptores Romani nihil novi proferunt. Quid enim est, quod ex Arg. Ov. Met. I non Prometheus sed Minerva hominibus animum infundit, cum Promethei adiutrix iam apud mythographos, de quibus modo dictum est, cognoverimus? Quantulum etiam interest homines auctore Horatio ex limo et, ut Arg. Ov. Met. I, Pausanias X, 4, 3, Iuvenalis XIV, 35 produnt, ex luto fingi!

Quod iam attinet ad artem, quae aetatibus post Christum natum floruit, singulas fabulae nostrae partes etiam magis excoluit et praetulit?

Imprimis hominum fictionem haec ars ante oculos nobis fert. Quo modo etiam hac in re propriam viam inierit, primum nos docet vas vitreum in tumulo prope Coloniam Agrippinam sito repertum (conservatum in museo Berolinensi et pictum apud Welckerum, A. D. V) Hoc vas factum est tertio saeculo post Christum natum, ut Welcker (A. D. V p. 185) ex simili vase Argentorati reperto demon-

stravit, quod nomen imperatoris Maximiniani prae se fert. Nostro in vase vitreo Epimetheum videmus — cuius adscripto nomini artifex ex Epimetheo Hypometheum faciens mendum intulit*) — Prometheum in fingendis hominibus adjuvantem eo, quod lutum affert**), cuius iam permultae glebae circa Promethei pedes dissipatae iaciunt. Welcker contra Epimetheum non limum, sed Pandorae vas afferre putat, idque ex domo, quae ianua iuxta Epimetheum ficta significetur. Sed primum ianua minor est, quam ut per eam Epimetheus penetrare possit. Deinde res, quam Epimetheus tenet, est rotunda et vasi dissimillima. Tum litterae non tradunt Epimetheum Pandorae vas ad hominem fictum aut fingendum afferre. Sed fratrem adiuvans Epimetheus iam ex Platonis dialogo, qui inscribitur Protagoras, de quo supra dixi, nobis est notus. Denique Prometheus sciens hominem plurimis maximisque malis cumulatum finxisset, si Welckeri interpretatio Epimetheum vas Pandorae afferre recta esset. Neque consentire possum cum Welckero putante virum ad ianuae dextrum latus esse Atlantem et in alterius vasis lateris effigie recubantem esse Menoetium. Utrique enim inscriptio deest, cum Prometheo Epimetheoque nomina adscripta sint. Neque est causa, cur, cum quattuor fratres effícti sint, duobus, qui per se ipsi hoc in vase non perspicui sunt, nomina non adiecta sint. Tum recubans vir homini, qui a Terra in altero vasis latere excipitur, respondens hominis mortem significare mihi videtur. Quae cum ita sint, vir ad ianuam stans est homo modo animatus, qui admiratione Premethei ali homini animum infundentis stupefactus est.

---

*) cf. Welckerum, A. D. V p. 185.

**) cf. Bull. di corr. arch. a. 1860 p. 158.

Quantopere hoc opus a ceteris huius generis effigiebus abhorreat, ex aliis monumentis, quae iam proferam, apparebit.

Primum hic dicendum est de Antonini Pii clipeo quodam ex aere expresso, (ap. Muellerum-Wieselerum II 65, 835) cum hoc in clipeo tantum necessaria hominum fictionis elementa videamus: Prometheum, seminudum et barbatum, fingentem hominem, cui Minerva animum infundit capiti hominis papilionem imponens. Eadem elementa etiam in huius generis anaglyphis sepulcralibus.

Non modo Minerva, sed etiam Mercurius homines factos animat, ut in anaglypho, quod est in museo „Pio-Clementino“ (IV 34) (cuius pictura linearis ap. Muellerum-Wieselerum II 65, 840) Ita enim explicanda est Mercurii manus motus, quo deus Animam a se ductam in hominem a Prometheo modo factum introire iubere videtur. Itaque Boettiger (Ideen z. Kunstm. II p. 365) putans Mercurium in corpus in terra recubans Animam ingerere in errore versatur. Neque probare possum Wieseleri (II p. 26) sententiam Animam a Mercurio in inferos deduci. Cui opinioni etiam opponere possum, quod Mercurius et Anima tranquilli adstant. Quid autem vult homo in terra supinus? Ex ceteris huius generis anaglyphis liquidum est huius ectypi artificem cubantem, qui initio ad hominis mortem pertenebat — qua in scena alibi etiam Mercurius Animam in inferos abducturus adest — retinuisse, quamquam Mercurium ad hominem animandum adhibuit. Cum igitur Mercurius hominem ante Prometheum animaturus est, tres Parcae: Clotho volumen tenens, Lachesis cum globo, Atropos in solarium monstrans, hominis sortem definiunt. Prometheum autem non solum homines sed etiam omnia animalia formare indicant asinus, taurus, canis, quae iuxta Prome-

theum in ectypo cernuntur. Omnino peperam Wieseler (l. c.) iudicavit ab his animalibus particulas ad hominem fingendum sumptas esse. Nam primum, ut iam supra dixi, tantum animi qualitates homini adiciuntur, deinde non haec animalia electa essent. Quomodo autem in anaglyphi basi inscriptum „Serys, Serys" se habet? Horum verborum interpretationes inter se valde dissentiunt (cf. Iahnium, Archäol. Beitr. p. 140 Anm. 88) Ad duos homines, stantem apud Atropon et in terra iacentem, haec verba nullo modo referri possunt, quia non in ectypo ipso incisa sunt. Deinde, quare tantum hi duo appellati essent? Has ob causas Broendstedii (Reisen p. 302 sq.) sententia reicienda est et propter id, quod vocabulum „Serys" a „sero" derivans his duobus verbis duos homines postea animatos significari dicit quam hominem in Promethei manibus. Nam cum ex iis, quae supra dixi, perspicuum esse putem Mercurium homini ante Prometheum Animam inducturum esse, homo ad Atropi dextram stans iam animam habet, id quod etiam huius hominis manus motus comprobat. Item supra demonstravi hominem in terra recubantem mortuum significare. Quibus ex rebus colligitur Broenstedium non recte iudicasse. Quomodo autem Wieseler (II p. 26) haec verba vertit? Liceat mihi verba eius afferre: „Da nach Zoegas ausdrücklicher Angabe zu den Füssen des stehenden Menschenkindes Pflanzen dargestellt und dieselben auf der von Visconti herausgegebenen, sonst ungenauern Abbildungauch zu dem Haupte des liegenden zu sehen sind, so möchten wir fragen, ob jene räthselhaften Inschriften etwa auf diese Bezug haben. Σέρις ist eine Endivienart, welche nach Plinius (h. n. XX 8, 32) besonders bitter und deshalb dem Magen zuträglich ist, und nach Varro (d. r. r. III 10) die Eigenschaft hat, dass sie

vertrocknet durch Aufgiessen von Wasser wieder grün wird. Diese Pflanze könnte zu den Ingredienzien gehören, die Prometheus seinen Thongebilden einverleibte. Dass die Pflanze mit Namen bezeichnet wäre, kann, da dieses in Betreff der Thiere geschehen ist, durchaus nicht befremden. So erhellte auch, warum das Wort Serys grade in der Gegend des Kopfes, nicht aber weiter nach rechts unterhalb seines Körpers gesetzt ist, was doch natürlicher gewesen wäre, wenn es auf die Figur bezogen werden sollte. Das zwiefache Vorkommen des Wortes Serys wäre vielleicht daher zu erklären, dass es zwei Arten der Pflanzen gab.“ Quid de his verbis iudicandum sit, nemini dubium erit. Verisimillimum esse mihi videtur haec verba Serys, Serys postea insculpta esse neque ad ectypum sepulcrale se referre. Haec hactenus de verborum Serys, Serys interpretationibus.

Hoc in anaglypho igitur animat Mercurius hominem, in illo Antonini Pii clipeo Minerva. Quae nobis occurrit etiam in huius generis pulcherrimo anaglypho: marmore Capitolino (saepenumero picto, ut ap. Muellerum-Wieselerum, D. d. a. K. II 838 et in tabulis a Conzio editis VIII, 3).

Medio in anaglypho homunculo, qui modo a Prometheo perfectus est, animando hominis mors respondet. Ibi enim Minerva homunculi capiti papilionem imponit — quod argumentum iam in Antonini Pii clipeo perspeximus — cum Clotho Lachesisque hominis sortem definiunt, hic Mercurius Animam abducit a supino iacenti, apud quem Atropos sedet, quae fine vitae pronuntiato librum nondum convolutum habet, cum mortis genius faculam hominis pectori applicat. Quid? Femina mortui capiti assidens, quamquam seminuda a sororum habitu se differt, est Atropos? Ita est!

Nam haec apud solarium post Minervam positum desideratur, et apud hominem morientem suo loco est (cf. Iahnium, A. d. J. 19, 306) Quae autem est femina rica velata, quae in duarum scenarum medio stans in hominem animandum intuetur? Iahn (l. l.) putat hanc feminam Mortem esse. Sed cum mortis genium iam puerum cum facula cognoverimus, Mors supervacanea esset. Idem est de Wieseleri sententia Noctem, mortis matrem, esse dicendum. Itaque cum nulla harum interpretationum mihi persuaserit, dicam, quid equidem de hac figura sentiam. Haec femina eodem statu et habitu, quo Alcestis, quae est in inferis, in sarcophago (picto in tabulis a Conzio editis V 2) tantum umbra mortui hominis esse potest, qui in sarcophago sepultus fuit.

Quantum gravitatis mundo hominum fictio et mors habeant, significant Sol ex Oceano oriens et Luna, quae avehit.*)

Hoc in ectypo autem non modo hominis sed etiam Promethei sortem ante oculos habemus. Nam ignis furtum Vulcani tantum officina repraesentatum a sinistra parte, a dextra poena ac liberatio Promethei duas scenas in medio insculptas concludunt. Quas res Caucasus liberationem Promethei contemplans et ab altero latere Adam et Eva a Vulcani officina seiuncti circumdant (quos iam Bianchini, Istoria universale II 8, hos nudos homines cognovit).

Omnia haec ectypa ab uno prototypo repetita esse comprobat etiam anaglyphon sepulcrale, quod conservatur in aedificio, quod vocamus Louvre, cuius anaglyphi pictura linearis est ap. Bouillon (III 41, 2) et ap. Clarac (215, 30) et in tabb. a. Conzio editis (VIII, 2).

---

*) cf. Stephani, compte rendu a. 1861 p. 61.

Ut a sinistro latere incipiam, Minerva etiam hic hominem a Prometheo modo perfectum (manu tantum imposita) animat. Cui scenae Mercurius se applicat Animam a corpore hominis in terra iacentis abducens. Quid autem sibi vult Mercurii os sursum elevatum? Christianorumne religio, quae animas in caelum migrare credit, id effecit eoque Mercurius Animam ducturus est? Sed fortasse artifex huius ectypi tantum efficere voluit, ut Mercurius Animam adspiceret aut tres Parcas, quae ora hanc in scenam vertentes sequuntur. Quae sorores certo hic cum hominis morte coniungendae sunt, cum etiam actiones earum hac cum scena consentiant; nam Clotho ex libro evoluto sortem hominis pronuntiavisse videtur, Lachesis respiciens radium in globo tenet, Atropos item oculos referens in solarium ostendit, utraque demonstrans vitae finem adesse.

Quarta scena, Vulcani officina, simillima est marmori Capitolino. Sed novi quiddam nobis obversatur: Prometheus ex officina ignem rapiens.

Artificem huius ectypi Prometheum Vulcani officinae non ultro adiecisse, sed ex prototypo prompsisse in aperto est. Itaque summo iure existimare possumus in marmoris Capitolini officina Prometheum ignem rapientem praetermissum esse.

Reliquum est, ut de figura nuda, quae iuxta Prometheum baculi fragmentum tenet, disseram. Hominem esse, cui Prometheus ignem rapiat, propter corporis magnitudinem negaverim. Estne Sol, qui manu flagellum tenuit, interrogat Wieseler (II p. 25), an ex Cabiris unus, qui malleum habuit? Sed cum nusquam artificiorum talis Sol nobis occurrat neque malleus ita teneri soleat, Wieseleri opinio reicienda est. Quis autem sit, certo dici non potest, cum res in hominis manu fracta sit.

Quo ectypo magis abest a prototypo anaglyphon sepulcrale, quod in crypta ecclesiae oppidi Arelatis reperitur et pictum est ap. Clarac (216) et in tabulis a Conzio editis (VIII, 1).

Minerva quidem etiam hoc in ectypo fingendo homini adest, sed Prometheum tantum adiuvans, non animans homunculum. Qua de causa post Prometheum stat. Ceteroqui quae omnibus his ectypis hac in scena communia sunt, etiam hic reperiuntur: homo, quem Prometheus format, in basi stans, Promethei schema corbisque ad dextram eius posita. Hac in scena apparet etiam Sol, hic corona perspicuus, cui puer faculam tenens praecedit, unus ex geniis lucis soli orienti praelucentis.

Fictionem hominis hic quoque excipit hominis mors, quam hic Mercurius Animam abducens corpore in terra recubante praetermisso repraesentat. Quid, quod hic quoque duas Parcas cernis: Clotho et Lachesin, ut in marmore Capitolino? Tertiam Parcam etiam hoc in ectypo alio loco reperiemus. Soli respondentem in extrema scena post Parcas Lunam cognoscimus, cui genius lucis anteit, fortasse Veneris stella, nam caput, quod solum videmus, feminam significare mihi videtur.

In tertia scena videmus Atropon sedentem in suggestu ut in marmore Capitolino et huic simillimam. Quae Parca in nostro ectypo omnino conspicua est volumine et clepsydra. Num eadem Neptuno, qui ante eam stat, id quod Boettiger (Ideen z. Kunstm. II p. 393) putavit, sortem dat? Minime! Nam quomodo Neptunus sortem accipiat, cum dextra piscem teneat, sinistra tridentem amplexus sit? Neque in Neptuno oculos Parca defigit, sed in terra aut duobus homunculis, quibus nescio quid cum angue est. Quid tandem Atropos hic faciat, dici non potest. Tum mirarisne, quod

hic quoque feminam rica velatam eodem schemate, quo in marmore Capitolino, reperis? Qua ex re concludi licet eam certo in prototypo fuisse. Etiam in nostro anaglypho idem valere mihi videtur, quod in marmore Capitolino. Quam feminam figura quaedam alloqui videtur, cui stella addita est, ut Parcis in lapide Capitolino. Haec stella atque idem comae suggestus, qui est duabus sororibus medio in lapide fictis, probabilitatem praebent hanc alloquentem figuram quoque Parcam esse, quae prototypi scenarum contaminatione hic quarta apparet. Quid hoc in ectypo velit, constitui non potest.

Omnino in obscuritate versamur de figura ad Neptuni sinistram stante, quae capite duobus cornibus ornato terram inspicit. Millini (Voy. d. m. III p. 185) sententiae hanc figuram esse Amphitriten, Neptuni coniugem, concedere non possum, cum non intellegam, quare haec persona tristis sit, cum Neptunus alium se praebeat. Neque in ceteris ectypis haec figura est, ergo fieri non potest, ut ei nomen demus. Montis deum autem, qui in ectypi angulo cernitur, iam cognovimus ex marmore Capitolino. Quanta libertate artifex noster partes prototypi contaminaverit, etiam hic montis deus comprobat, cum retentus sit, quamquam Prometheus punitus, apud quem deus suum locum tenet, excidit. Utrum Oreas deo addita huius ectypi an prototypi sit, decernere non possumus. Sed loci, ubi Prometheus incusus erat, solitudo magis nobis ante oculos fertur, si deus solus adest. Itaque putem in prototypo Oreadem non fuisse.

Artificem huius ectypi permultum praetermisisse, quia protypon non perspexit, obscuritas quoque confirmat, quae est in homunculis, qui bini in proscenio se praebent. Nam praeter Psychen et Amorem, qui inter Mercurii pedes cer-

nuntur, nescimus, quid ceteri homunculi hic faciant. Boettigero enim (Ideen z. Kunstm. II p. 393) duos anguem pascere et Adam Evamque esse, et duos alios Cainium et Abelem assentire non possum, cum, quid faciant, non perspicuum sit.

Etiamsi permultae varietates inter quattuor ectypa, de quibus iam dixi, reperiuntur, tamen in aperto est ex uno fonte omnia haec ectypa sepulcralia fluxisse.

Nexum quendam cum his constituere possumus ali ectypo, quod est in villa „Borghese“ (ap. Clarac 32). Artificem enim huius ectypi ex maiore anaglypho figuras sumpsisse primo adspectu liquidum est. Nam Prometheus hominem fingens dextro ectypi latere hic sine ulla causa ad dextram versus est — ita, ut retro se vertere debeat, ut videat, quid a tergo accidat — et ad dextram spectat Prometheus, cum hominem fingit, in ceteris huius generis ectypis. Deinde hic homunculos animat, cum probent horum gestus, Minerva apparens, id quod a deae moribus omnino abhorret, et in ectypo Arelate reperto tantum post Prometheum stat, ut eum consilio adiuvet. Cum hic a Prometheo seiuncta sit, concludi potest artificem ex adiutrice animantem fecisse itaque ei papilionem attribuisse. Tum probat etiam muliercula, quae Veneris Medicaeae statum habet, artificem huius ectypi figuras compilasse. Denique etiam montis genius, qui hic supervacaneus est, et quem in Promethei poena suo loco invenimus, nos docet hoc ectypon ex maiore anaglypho omnibus ceteris figuris omissis compositum esse.

Omnino aliter res se habet, si ectypon sepulcrale contemplamur, quod est in museo Borbonico Neapolitano et pictum ap. Muellerum-Wieselerum (D. d. a. K. II 841), et in tabulis a Conzio editis (VIII, 1).

Post Conzii acutam dissertationem, quae inscribitur: de Psyches imaginibus quibusdam, de hoc sarcophago nihil dubii relictum esse puto excepto illo, quod dicit tradendo sacculo a Iunone ad Mercurium Plutone iam manum porrigente mortem significari. Equidem haud nego Mercurium sacculum accipere, sed contendo Plutonem hoc non statim assecuturum esse. Porrecta enim manus per prolepsim, ut ita dicam, intellegenda est, id est: aliquando demum sacculum in manus eius veniet. Itaque hac actione non hominis mors, ut Conze (l. l.) voluit, sed incipiens vita significatur. Hoc modo actio inter Iunonem et Mercurium cum actione in proscenio se praebente consentit, neque putare possum duas actiones, quarum altera alteram circumcludit, non ad idem spectare.

In ceteris rebus cum Conzio consentio, qui recte iudicasse mihi videtur Prometheum de sorte hominis modo facti meditari, in quem duo Cupidines Psychen nolentem et se avertentem ducturi sunt. Iam comparantes hoc anaglyphon cum ceteris eiusdem generis monumentis nihil gravis momenti hic reperimus. Sol quidem, qui hic super Caelum advehit, adest et Luna, sed eadem accurrens, quorum utrique lucis et venti genii praecedunt, Vulcanus quidem Promethei vincula cudit, sed incus intra Telluris pedes posita est. In ceteris rebus nihil noti reperis, ut duas Horas, quae una cum diis mundi significant: totum universum tam gravi momento adesse, quo Anima in hominis corpus intratura est, ut Hecaten et Cerberum et Somnum, Plutoni additos, qui inferos repraesentant, ut Thalassam apud Neptunum sedentem.

Haec sunt anaglypha, quae nobis relicta sunt. Quibus, quamvis pauca sint, fabulam Prometheam permultum in

sarcophagis adhibitam fuisse discimus. Huic rei attribuendum est, quod etiam extrema antiquitate ars hac fabula usa est. Nam Prometheus ossa hominis malleo et caelo fingens (ap. Muellerum-Wieselerum, D. d. a. K. II 837 et Winckelmannum, p. gr. 314, 1) tantum eo tempore exsistere potuit, cum paganitate collabente etiam artis traditio antiqua corruit.

Eadem extrema imperii Romani aetate lapis factus est (ap. Muellerum-Wieselerum D. d. a. K. II 836) ubi Wieseler Prometheum hominis fingendi mensuram inire putat.

Quae, quamquam ab argumentis nobis notis abhorrent, tamen artifices schema Promethei traditum retinuerunt: barbatum seminudumque Prometheum finxerunt.

Si iam videmus Promethei barbam omissam esse in lapide Etrusco (ap. Muellerum-Wieselerum D. d. a. K. II 840) ubi Prometheus caelo anserem aut cycnum fingit, non est mirum, nam in aliis quoque Etruscorum operibus Prometheum non barbatum cognovimus. Quod Wieseler dicit: „Prometheus modellirt den Kopf eines Menschen, welcher auf dem Halse einer Gans oder eines Schwanes sitzt (so dass er den Kopf dieses Thieres seinem Thongebilde einverleibt zu haben scheint)“ nullo modo defendi potest.*)

Venio nunc ad ea opera artis, de quibus dubitandum est, num antiquitate exorta sint.

Primum afferam anaglyphon, quod conservatur in collectione urbis, cui nomen est Liverpool, et pictum est in ephemeride archeologica a. 1858 tab. 114.

Imprimis argumentum huius ectypi ab omnibus ceteris, quae iam cognovimus, obhorret. Nam Prometheum manibus incusis ita recubantem nusquam vidimus. Deinde,

*) cfr. p. 21.

ut Prometheum pro ignis furto poenam solvere manifestum sit, facula iuxta eum in solo iacet, id, quod nusquam reperitur. Neque Vulcano, qui opere incudendi perfecto malleum in incudem fulcit, occurrimus. Omnino arti alienae quinque Oceanitides sunt, quae habitu delphinoque perspicuae Vulcanum orant, ut Prometheum revinciat.

Itaque, cum huius monumenti typus unicus sit et ab omnibus ceteris abhorreat, suspicio de eius antiquitate excitatur, quae suspicio etiam comprobata est lapidis inquisitione: Prometheus enim et Vulcanus Oceanitidibus postea adiecti sunt.*)

Suspicio quoque commovetur de antiquitate Promethei statuae, quae, ut Thiersch (Reisen in Italien p. 265) narrat Venetiae in collectione Nenica fuit. Cum de hac statua Valentinelli (Marmi scolpti etc.) et Duetschke (Antike Bildwerke Ober-Italiens) nihil prodant, in illa collectione non iam adesse videtur.

Hac de statua Thiersch (l. c.) ita dicit: „Prometheus, etwa drittehalb Spannen hoch, sitzt an Händen und Füssen gefesselt auf einem Felsen, hinter dem ein Geier sich hervorbreitet, der ihm aus der linken Seite die Leber herauszieht. Im Gesichte ist übermässiger Ausdruck des Schmerzes und am Leibe eine demgemässe Anspannung der Muskeln. Das Ganze in dieser Eigenthümlichkeit kann nicht alt sein, und gleicht eher einem übrigens nicht unverdienstlichen Werke des Sansovino als des Alterthums."

Restat, ut disseram de duobus operibus, in quibus Prometheus plerumque cognoscitur.

Maxima in dubitatione versor, num in patera Cyre-

---

*) cf. Matzium, Arch. Ztg. 1873 N. F. 6 p. 32.

naica (picta in eph. arch. a. 1881) Prometheus pictus sit. Vir enim, cuius vinculorum nihil cerni potest, sine quibus Prometheus punitus nusquam reperitur, vestimentis ita obductus est, ut ne bracchia et manus quidem libera sint. Atque cum in sedili sedens tantopere a typis, quos perspeximus, abhorreat, haud verisimile esse videtur, hunc virum Prometheum esse. Neque opponi potest talem Prometheum in Cyrene exstitisse, nam vincula Prometheo poenam solvente omitti non possunt. Itaque putem Iovem hac in patera sedere, ad quem aquila advolet.

Dubito quoque, num in operculo lucernae (ap. Muellerum-Wieselerum, II 64, 830) in qua homo fugiens et sinistra lucernam ardentem tenens cernitur, Prometheus ignem rapiens pictus sit. Nam Prometheum ignem in lucerna rapuisse non traditum est et ars, ut supra vidimus nihil nisi faculam apud Prometheam ignem furantem finxit.

Sine ulla dubitatione fabulam Prometheam non attingit gemma (picta in tabb. a Benndorfio edd. D, IX, 6) in qua Milchhoefer (Anfänge der Kunst, p. 89) Prometheum, qui a vulture dilaceratur, cognoscit atque, ut verba eius afferam: „Den älteren Typus des gefesselten Prometheus.“ Ut enim omittam: vincula viro omnino deesse, homo ne poenam solvens quidem cogitari potest, sed status magis imperantem, ut ita dicam, quam poenam solventem significat. Itaque sententiam Prometheum hac in gemma incisum esse, oppugno, etsi, quis sit, nescio.

Haec fere habui, quae de Prometheo disputarem. Ut paucis complectar, quae de fabulae Prometheae gravitate atque usu protuli, maximam gloriam ea fabula assecuta est Aeschyli aetate, renata est post mortem Alexandri Magni,

permultum pervagata fuit altero tertioque post Christum saeculo.

Etiam demonstrasse mihi videor, quo tempore Prometheus homines fingens exstiterit: Aeschyli aetate ex trilogia eius, quae inscribitur Prometheus. Itaque omnino perverse, ut equidem puto, Kuhn (Herabkunft des Feuers p. 18) iudicavit vetustissimum esse Prometheum homines formantem, qua opinione Kuhnii ratiocinationis permultum nititur.

Theses.

I. In Xenoph. Hellen. I 7,24 pro codd. lectione: *οὐκ ἀδικοῦντες ἀπολοῦνται* scribendum est: *οὐκ ἀδίκαστοι ἀπολοῦνται.*

II. V. 4 epigr. 302 ap. Kaibel. Rhein. Mus. p. 184 supplendus est:

εἰς οἴ]κτους ἐνέρω[ν καὶ] σκοτίους θαλάμους.

VITA.

Natus sum Theodorus Konitzer Conitziensis a. d. XIII Cal. Mai. MDCCCLII parentibus Johanne et Carolina e gente Ickert. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasium frequentavi Conitziense, unde examine peracto anni MDCCCXXX vere, ut studiis philologicis me darem, petii primum Academiam Fridericianam Hallensem, ubi per tria semestria Proff.

Dittenberger, Erdmann, Haym, Hiller, Keil, Zacher

audivi, tum Academiam Albertinam Regimontanam, ubi me decuerunt Proff.

Friedlaender, Hirschfeld, Jordan, Ludwich, Schade, Walter,

quibus omnibus gratias ago semperque agam quam maximas.